

Bibliothèque numérique

medic@

**De Champesme, J.. - Sunt-ne
cachexiae speciales a singulis
organorum degenerationibus
oriundae ?**

1824.

Paris : E typis Crapelet

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1824x02x04>

4

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGLE
UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

*Sunt-ne cachexiæ speciales a singulis organorum degenera-
tionibus oriundæ?*

THESIS,

Quam, Deo favente, in saluberrima facultate medica Pari-
siensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis com-
petitorum disputationibus subjiciet et propugnare conabitur,

Die X Kalendas februarii anno M. DCCC. XXIV.


J. DE CHAMPESME,
MEDICINÆ DOCTOR.



PARISIIS,

E TYPIS CRAPELET.

M. DCCC. XXIV.



PRÆSES D. ESQUIROL.

JUDICES. DD. { LANDRÉ-BEAUVAIS.
 ROYER-COLLARD.
 RÉCAMIER.
 CAYOL.
 BERTIN.
 FIZEAU.
 ALIN.
 JADILOUX.

VICARII JUDICES. DD. { FOUQUIER.
 KERGADEDEC.
 PARENT DU CHATELET.

PROOEMIUM.

Non certe conqueremur de natura argumenti quod nobis tractandum fortuna cessit : difficile quodlibet aliud magis quam hoc amplum forsitan inveniretur ; singulis enim medicæ scientiæ cognitionibus stipatum progreditur. Dolemus tantum quod neque tempus fuerit concessum , ut totum convenienter explanemus , neque nostri facultates ingenii permittant apprime , uti decet , delineare. Quum aliunde fere inauditum fuerit nostris temporibus hoc argumentum hac in celeberrima schola , non mirum si gravius quam ferre valeant humeri onus videatur. Hac in quæstione solvenda , quidquid habet medicina obscurum et metaphysicum sese exhibet : quis autem non novit quanta cum facilitate mens humana sibi commissa per errores divagetur ? in exemplum præsto est celebratum Achillis et testudinis sophisma , quod solvere impossibile est , si infinita proseguendo studeamus , quæ libenter admittit ratio. Si sufficerent meræ cavillationes et ingenii acumina , quas subtilitates , quæ sophismata præmittere possemus de cachexiis disserendo.

Quotquot enim rei medicæ scriptores nostram quæstionem attigerunt , in hoc fere conveniunt cachexiam in nutritionis defectione reponendam esse. Quum vero perfecta nutritio inter mentis fictiones , idealesque abstractiones merito sit recensenda , quum punctum sit quod tangere non fas hominis ingenio , singulos homines in statu cachexiæ constitutos pronuntiabimus ? Porro gravissimi generis morbus cachexia est , ergo gravi morbo laborant omnes. Procul recedant hujusmodi ambagines quæ magis inserviunt disputationum igni fovendo , sed in

quibus tractandis miserrime tempus disperditur, quod rectius factorum cognitioni impendendum esse videretur.

Attamen quædam veritates per ratiocinia demonstrari queunt, non minus quam per facta plerumque fieri solet. In hac autem nostra dissertatione, si quando utemur ratiociniis, ut factis evidentibus fulciantur, pro viribus nitimur. Si enim interdum rationibus sensationes diriguntur, sæpius quoque sensibus ratiocinia emendantur, corriguntur, perficiuntur.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGLE

UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

QUÆSTIO: *Sunt-ne cachexiæ speciales a singulis organorum
degenerationibus oriundæ?*

NULLA forsán scientia est in qua vocabulum tam incertum tamque vagum reperiatur quam vox *cachexia*. Si medicinæ scriptores perlegamus, facile deprehenditur plures inter ipsos nutritionis defectum intellexisse; sed quam versatilis, quam dubia sit ista locutio nemo est qui non intelligat. Macies, marasmus, tabes, phthisis, cacoehymia, cachexia pluribus in libris velut idem sonantia vocabula adhibentur.

Aperiamus nosologistarum chartas, qui nominibus definiendis explicandisque studuerunt, videmus alios per cachexiam plurimos morbos essentia discrepantes intellexisse, alios voluminis colorisque corporis vitium. Apud Sauvagesium decimam classem morborum cachexia constituit, quæ iterum in septem ordines et quadraginta et unum genera disponitur. Septem ordines et quadraginta duo genera Sagar; tres ordines et viginti quatuor genera Cullenius; classem unicam in viginti quinque genera divisam Vogel, unicum ordinem Linnæus admisit; apud Pinel nostrum admodum desideratur. Tanti ponderis auctorum discrepantia in eodem argumento, tantaque opinionum varietas circa morbos de quibus loquuntur, aperte demonstrat quam dubia sit cachexiæ significatio. Sic opinatur Pinel. Admonet enim in prægrandi scientiarum medicarum lexicone linguam medicinæ ista voce purgandam.

Quidquid sit hac de re censendum, distinctio cachexiarum ad exprimendum statum specialem plurium morborum, maximæ potest utilitatis esse. Hæc enim admissa novum suppeditat medium quo possimus in illorum studio proficere.

Optimam habemus apud Aretæum ideam cachexiæ. *Cachexia*, inquit, *id est malus habitus omnium simul vitiorum conversio est. Siquidem ab omnibus morbis propagatur, et emanat.* Quæ tamen definitio cachexiæ melius symptomaticæ convenire posset.

Manca est Stahlî definitio: *Cachexia, ut ipso nomine, depravationem habitus corporis indicat.*

Neque accuratissima est quam dedit Boerhaavius definitio, licet Stahlî præponenda, quum selectis aphorismis quos typis mandavit Corvisart præscribendam dignam esse dijudicaverit: *Cachexiæ nomine*, inquit, *intelligi solet ea dispositio corporis quæ nutritionem ejus depravat, per totum illius habitum simul.* Re quidem vera, comprehendit illa definitio et acutos et chronicos morbos. Quamvis enim triginta quatuor horis tantummodo definirentur morbi, uti cholera morbus, semper aliqua fluidorum nutritionisque depravatio existere observari posset.

Igitur cachexia duabus constans vocibus græcis κακός pravus et ἕξις habitus, pravum habitum, pravam dispositionem significat; et legimus plerosque auctores hunc statum nutritionis defectioni tribuere. Ut rectam nostri objecti ideam efformemus, in principio facta subsequencia stabiliemus: 1°. vitam incolumen servari non posse, ni corpus recipiat atque perdat æquis proportionibus; 2°. corpus in statu naturali non persistere, quin reparet ope nutritionis quas patitur jacturas; 3°. alimenta digestionis operatione in chylum converti, chylum mediante respiratione in sanguinem arteriosum. Sanguis autem arteriosus in duas partes præcipuas dividitur, quarum una secretionibus, altera vero nutritioni inservit. Vocabimus succum alibilem hancce partem sanguinis arteriosi, quæ assimilatione moleculis singulorum organorum constituentibus consociatur. Quo facilius autem nutritio perficiatur necesse est: 1°. ut æqua dentur quantitate et qualitate succi alibiles; 2°. ut apparatus præparatores et conductores hujusce fluidi recte sint instructi, nec

ullo modo depravati : 3°. tandem necesse est, ad perficiendum assimilationem, ut specialis accedat vitalis actio, influxus nervosus cujus existentiam effectus demonstrant non minus quam succum alibilem existere certum est.

Tribus in illis ordinibus contentæ distributæque reperiuntur omnes cachexiæ, ut erit inferius demonstratum.

Hisce præmissis, facilius, spero, veniemus ad definitionem minus obscuram cachexiarum, et sequentem proponemus : *Cachexia est status generalis, diuturnus, præternaturalis depravationis nutritionis, cui character externus est macies, vel intumescencia, vel vitium coloris cutis.*

Nunc vero superest ut sigillatim singulas quas constituimus divisiones perpendamus.

§. I^{us}.

De varia succi alibilis depravatione.

Potestne minor victus quantitas tandem cachexiam procreare? rem ita fieri confidenter affirmamus; hoc enim probant et analogia et effectus. Re vera, novimus sudores nimios uberioresque secretiones illam producere, absque ullo peculiari sanguinis vitio. Hujusmodi existunt cachexiæ, quin major sanguinis copia excretionibus impenditur, quod contingere nequit absque humoris alibilis dispendio. Pertinent igitur ad ordinem cachexiarum ex alimentorum defectione. Sat superque demonstrant hanc speciem inediae per plebem grassantes, sedes diuturnæ, prælongæ navigationes, etc.

Diximus in œconomia animali sanguinem arteriosum in duas partes dividi quarum altera alimentum partibus similibus suppeditat, altera vero secretionibus inservit.

Si autem hujusmodi secretiones aut quædam ex illis tantum uberiores fierent, qualibet de causa, major sanguinis arteriosi quantitas deferretur ad organum secretorium, aut excretorium, quod contingere nequit nisi dispendio partis alterius sanguinis arteriosi, videlicet succi alibilis. Tunc exinanitio consequi posset, qui casus analogiam haberet cum alimentorum defectu, cum hæmorrhagiis, ex quo altera sequeretur cachexiæ species. Indigitat

autem medicinae praxis cachexias ab excessu secretionis ortum ducere, cujusmodi sunt sudores, diabetes, etc. Altera frequens cachexiae causa est adulteratio succi alibilis a prava qualitate ciborum oriunda. Quidam inter recentissimos auctores scripserunt nullo modo admitti posse cacochymiam; scilicet, aiunt, quaecumque species alimentorum sit ingesta, semper alibilis est chylus; si vero peioris naturae sint alimenta, in canalem digestionis actionem exercent. Quum Galenus ipsiusque sequaces diutius scholas infecerint innumeris humorum vitiis, facile fuit, post miros anatomes et physiologiae progressus, ex medicina tam fuitiles theorias expungere. Verum ad errorem declinandum, saepissime in errorem oppositum praecipites delabi videmur. Certum est alimenta pravae naturae, si magna copia sumantur, aut si nociva qualitate polleant, in stomachum et tubum alimentarem directe agere, phlogosim accendere; si autem substantiae nocivae tenues et solutae fuerint, in torrentem circuitus introducentur.

Etenim medicamenta et venena hoc modo absorpta per partes devehuntur, quum peculiarem exercent actionem in organa peculiariora, et per venas injecta ejusdem generis phaenomena producant, immo et celerius quam si in stomacho recepta fuissent. Evidenter, ni fallor, in dissertatione inaugurali quam anno 1814 his in ipsis aedibus habuimus, demonstratum fuit ipsamet miasmata torrentem circuitus sanguinis arteriosi permeare. Notum est medicamen aut venenum, si quotidie minima copia ingeratur, non actionem suam quasi *electivam* super organum speciale exercere, uti contingere diximus quando major quantitas deglutitur, sed ipsius vim in tota oeconomia persentiri, si continuus fiat usus, et aequa proportionem adhibeatur. Pro nobis facit hydragirum cujus sat omnibus nota est actio in lue venerea curanda. Aliud argumentum rem pariter demonstrat. Anno 1816 famulus domini Perron, Praesidis Fori Burgi Novi me adiit ut consuleret de reliquiis febris intermittens quae diu perduraverat, et cujus adhuc accessus intercurrent. Valde tumidum erat abdomen et aliquantulum fluctuationis versus partem infimam tactu deprehend visum est, dum sedebat aegrotans; pallida cutis apparebat; pedes, adventante nocte, intumesce-

bant, tumidiuscula facies erat, nihilque præter solitum in pulsu pertangebatur. Frustra variis adhibitis medicationibus quæ suaserant artis præstantissimi viri, præscripsi decoctionem digitalis purpureæ. Quæ planta, quum maximo pretio veniat, et abunde sub illo cælo crescat, quibus characteribus cognosceret indicavi, admonens ut ad me rediret. Elapso mense jam melius se habebat. Nulla pulsus mutatio. Eamdem sed paulo augendam præscriptionem suasi. Sex post mensibus per quos nihil de ipso audiveram, omnia cessaverant morbi symptomata, verum ad incredibilem marcoris statum descenderat. Per totum temporis quod diximus spatium digitali usus fuerat, quoniam, inquiebat, persuasum ipsi erat maxime profuisse. Naturalis perstabat pulsus, sed visio per quam debilis erat, vix pupilla luce contrahebatur. Consilium fuit ut abstineret a remedio periculosiore. Paucis post diebus ad perfectam valetudinem restitutus fuit.

Sed enim experientia compertum est existere substantias nutrientes adulteratas, quæ producunt affinem effectum, scilicet non agunt in stomachum, sed totam animalem œconomiam pessumdant. Non solum causa est secale cornutum gangrenæ senilis, quæ potest aliunde inter cachexias recenseri, nobis enim videre contigit anno 1818 in provincia Marchia dicta cunctos cachexiæ characteres absque gangrena apud incolas qui secali cornuto vescabantur. Exempla premere possem aliis factis fulta, nisi res inutilis videretur ob assertionis evidentiam.

Plurimæ dantur cachexiæ a secretionum excretionumque defectu. Tunc autem materiæ nutritioni jam factæ inutiles, quæ tamen non excernuntur, cum sanguine diffluunt per corpus, dividundur, lentoque gradu organa lædunt quorum et functiones perturbant. Sic videntur quidam marcescere aut intumescere, qui sanitati restituantur, excitando perspirationem cutis, aut exutoriorum ope.

Fluida morbosa quædam casu secernuntur in œconomia animali, torrentem circulationis ineunt, innumerasque producunt cachexias, cujusmodi sunt lues venerea, tum magnæ profundæque puris collectiones, quod lente resorptum totam œconomiam inficiatur.

Alia species constituit cachexias quæ sunt ab organorum degenerationibus oriundæ. In hisce præsertim tractandis moraturi sumus. Degenerationis organicæ nomine vulgo intelligitur productio textus accidentalis in organo. Professoris Laënnec investigationes contra Bichati opinionem accidentalium textuum productiones semper easdem esse demonstrarunt, in qualibet humani corporis parte nata reperiantur.

Textus autem accidentales in duplicem seriem distribuuntur:

1°. Qui analogiam servant cum textibus naturalibus œconomix animalis, cujusmodi sunt.

1°. Textus Osteoïdeus, seu ossiformis.

2°. — Inoïdeus, seu fibriformis.

3°. — Inochondroïdeus, seu fibro-cartilagineo-formis.

4°. — Chondroïdeus, seu cartilagineo formis.

5°. — Cutoïdeus, seu celluloformis.

6°. — Tricoïdeus, seu piliformis, etc.

Hunc præcipuum characterem habent istius ordinis textus accidentales, quod ipsorum formatio nullas gravis momenti perturbationes producat, nec alio modo noceant quam voluminis dispositionisque ratione. Efformati, plerumque perstant usque ad extrema fata, absque ullo corporis dolore aut incommodo.

2°. Longe discrepant ab istis characteres quibus agnoscuntur textus qui nullam habent cum naturalibus œconomix textibus analogiam. Hi sunt, 1°. tubercula, 2°. scirrus, 3°. encephaloïdei, 4°. melanoses.

Tres distinguuntur periodi in quatuor istorum textuum progressionem formationis, nempe cruditatis et mollitiei. Nondum cachexiam producant in cruditatis statu. Requidem vera possunt in pulmonibus existere tubercula, quin ulla appareant cachexiæ signa. Idem dicendum de encephaloïdeus textus scirroque. Sæpe observata fuerunt carcinomata in organis summi momenti, quin ipsorum functiones graviter perturbatæ viderentur. Paucis ab hinc diebus in nosocomio si dicto *Hôtel-Dieu*, occubuit violentia propria juvenis optimæ valetudinis formis præstans. Autopsia cadaveris varias

stomachi partes carcinomate foedatas patefecit. Refert quoque Portal mulieris historiam quæ cum hepatis carcinomate 24 annos auram spiravit.

Si severius vocibus hærere vellemus, patet non posse inter degenerationes recenseri primam classem organicarum productionum quas enumeravimus, quum efformetur depositione successiva molecularum in organorum textu : est enim, ut quidam vocarunt, *vera productio*. Sed certum est veram consistere degenerationem statum organi, quum adest secundæ classis substantia, præsertim quum ad tertium gradum pervenit; tunc absorptio hujus substantiæ mollis factæ locum habet, et incipit cachexia. Istius modi sunt quæ rectius vocari possunt *cachexiæ speciales* a degenerationibus organorum oriundæ, quum ille mollitiei status veram organorum degenerationem constituat.

Textus accidentales quibus nulli sunt affines ex naturalibus alium characterem habent, continuam nempe dispositionem servant ad mutandum aspectum naturamque, licet quidam, ut diximus, plus minusve perstare videantur. Verum enim vero illam spontaneam degenerationem pessimus sequitur effectus; prout enim dissolvuntur in loco, in altero reproducuntur; si omnino destruuntur ut interdum de pulmonum tuberculis accidit, novæ nascuntur degenerationes.

Sed enim varias isti textus possunt subire mutationes, prout inter se consociantur, aut per juxta-positiones aut per commixtionem, etc.

Summatim istos textus pertangamus singulos, sic quodammodo causam prosequemur cachexiarum quæ sunt ab organorum degenerationibus oriundæ. Celeberrimus Bayle in votis habebat ut omnes istæ degenerationes simul collectæ examinarentur.

Textus encephaloïdeus et scirrus in omnibus corporis humani partibus oriri possunt; præsertim reperitur in textu celluloso luxuriante et flaccido, ex. gratia, in textu qui renes ambit; plerumque etiam reperire est in visceribus, sæpius autem in hepate nascuntur. Mammarum carcinomata aliarumque partium quæ recisa reproducuntur, sæpe istius naturæ tumores constituunt. Laënnec vidit

in hominis cervo in nosocomio Charitatis defuncti, anno 1817. In cerebello Morgagni invenit qui pertinere videntur ad istam textuum speciem. Sæpe reperiuntur in stomacho, in superficie varii generis membranarum.

Plurimi ex morbis cognitis nomine fungorum duræ meningis pertinent ad hanc materiem morbosam. Aliquando observare est parvulos tumores cerebriiformes peritoneo adhærentes. Sæpe in utero nascuntur. Observantur quoque in testiculis cum vel sine kisto. Stomachi carcinomata encephaloïdea materie formata vix magno donantur volumine. Reperta est etiam ista degeneratio in ovariis, in prostata, in musculis, teudinibus, aponeurosibus. Sæpe sæpius ex organo in aliud organum serpit, habita contiguitatis ratione. Sic non raro videtur degeneratio encephaloïdea uteri colli ad vesicæ collum sese extendere. Quæ de textu encephaloïdeo diximus competunt omnia scirro. Hepar atque pancreas aliquando communem cum stomacho degenerationem habent. Mense junio, anno 1810, quum vices gererem alumini in penetralibus valetudinarii Montis Rubri in quo sese recipiunt invalidi ultima fata expectantes, senex quidem 85 annos natus olim sanitati præpositus occubuit omnibus cum maciei generalis characteribus. Etsi digestio non plane cessasset, sectione tamen cadaveris inventus fuit stomachus omnino destructus in circulari spatio quod fere quinque librarum nummo æquipollebat; respondebat hæc apertura pancreatis quam occludebat accuratissime et quasi corpus unum cum hoc organo efficiebat, ope istiusmodi textus degenerationis. Reliquæ autem pancreatis partes integerrimæ servatæ fuerant. Quum omnes generatim cancerosæ moles efformentur ex encephaloïdea materie, et scirroso textu, aut ex utraque simul degeneratione proveniant, primum est concludere quam sint in æconomia frequentes, siquidem evolvuntur in pancreate, hepate, liene, stomacho, intestinis, utero, ovariis, renibus, vesica, prostata, testiculis, pulmonibus, cerebro, etc.

Ex omnibus quæ huc usque prolata fuerunt, aperte demonstratum restat cachexiam haberi posse tanquam omnium harumce organorum degenerationum effectus. Legimus in medicarum scien-

tiarum dictionario, articulo cancer v. III, p. 641. « Quum moles
« cancerosæ ad mollitiem incipiunt converti, sedes aliquandò fiunt
« dolorum pungentium, uti pleraque alia carcinomata; interdum
« vero eodem in statu persistunt. Quidquid eveniat, quum mar-
« corem et alia cachexiæ symptomata cancerosæ producunt, nullum
« super est dubium de ipsarum existentia, dummodo tamen tactu
« persentiri possint. »

Evidens est cæteras duas degeneraciones, tubercula nempe et melanosos pares esse quoque cachexiæ producendæ, sed idem dicamus ac de aliis, nisi organum ineant maximi momenti, cujus perturbent functiones, nec cachexiam producunt, nisi quando molles fiunt et pars mollis facta plus minusve torrentem circulationis subit; sic phthisis pulmonaris tunc tantum producit cachexiam, quum tubercula tertium gradum attingunt.

Clarius ergo diurna luce apparet existere speciem cachexiarum quæ sunt a singulis organorum degeneracionibus oriundæ juxta vim hujus vocis definitionis, scilicet a transitu in mollitiem textuum qui nullam habent cum aliis æconomix analogiam. Accidentales enim productiones quæ affines textus habent, eodem characterere minime donati reperiuntur.

Cachexiæ quæ ab organorum degeneracionibus oriuntur characterem habent proprium. Symptomaticæ, et fere semper insanabiles sunt, varioque sese annuntiant habitu, pro vario organo vel variis organis quæ affectionem patiuntur.

§. II.

Alterationes apparatus præparatoris et conductoris fluidi alibilis.

Sat erit pro re nostra præcipuas divisiones stabilisse, et quasdam designavisse species.

Alteratio stomachi adnexarumque partium, sive a phlogosi chronica, sive a sensibilitatis vitalis vitio proveniat, cachexiam quoque producere valet. Intelligitur enim alimenta, si per vomitum rejiciantur, si totum percurrant digestionis tubum quin sufficientem nutritioni chymum suppeditaverint, nascituram esse cachexiam.

Re quidem vera non deficiunt exempla quarumdam cachexiarum a vomitibus, aliarum a lienteria productarum.

Vasorum alteratio quoque causa est. Frequentiores enim hæmorrhagiæ cachexiis viam sternunt, quarum auctores innumeras referunt observationes. Sed inter istas præcipuum locum tenet hæmoptysis.

Variae cordis alterationes cachexiam procreare possunt, sicut et magnorum vasorum. Exempla non pauca præbet productio textus primæ quam admisimus classis. Tunc corporum extraneorum ad instar agunt illi textus.

§. III.

Non sufficit, ut innuimus hoc argumentum ineundo, æqua dari et qualitate et copia fluidum, postea autem ad varias œconomiae partes transferri; necesse est præterea, quo rectius fiat assimilatio, ut adsit vis vitalis; aliter vix aliud eveniret præter juxta positionem, aut interpositionem fluidi cum organo. Nam si hoc organum more corporis inertis si haberet, non posset assimilare propriæ substantiæ fluidum quocum in contactum veniret. Nihil similis videtur in natura contingere, et rem impossibilem esse nemo est qui non intelligat.

Plurimæ dantur cachexiæ quæ pendent a vis assimilationis defectu, sunt.

1°. Varia animæ pathemata, cujusmodi sunt præsertim nostalgia, amor, mœror, etc. Non supervacaneum censemus animadvertere hisce in casibus hepar leviter obstructum aliquando inveniri, et ideo quosdam ab ista causa ortam esse cachexiam pronuntiavisse, verumtamen secundariam fuisse hepatis alterationem probabile nobis videtur.

2°. Scorbutum; 3°. scrophulæ quas indicavisse sat esse existimamus.

4°. Alia tandem est cachexiæ species cui obnoxii sunt infelices qui fodinas excavant. Descripsit Halle sub anæmiæ nomine unam ex his affectionibus quibus afflicti fuerunt anno 1803, fossores in fodina carbonis fossilis non procul à Valentianis. Analysis de-

monstravit præsentiam non parvæ gaz acidi carbonici et gaz hydrogenii sulphurati in hac fodina evoluti, quod ultimum videtur fuisse causam epidemici morbi qui particularia phœnomena obtulit. Primi qui fuerunt afflicti, symptomata violentæ colicæ exhibebant, postea vero minus acutus evasit morbus, pedetentim et quasi per gradus invadebat, nec nisi admodum lente periodos percurrerāt. Quatuor autem ex ægrotantibus lutetiam mandatis, hæc observata fuere : pallido terrosus atque flavescens totius corporis color : nec inconjunctiva, nec in gengivis, nec in brachiis venarum vel minimarum vestigia deprehendebantur. Sat tumidum sese prædebat mesenterium. Unus ex his occubuit, et autopsia repertum est in tribus cavitatibus vasa arteriosa et venosa sanguinem nullum continere et tantummodo paululum seri. Sectiones profundæ in femora institutæ exitum præbebant tenuissimæ copię sanguinis liquidi et nigricantis. Alii vero tribus post mensibus paulisper vires recuperaverant, nec tamen perfecte valentes.

Concludamus. In brevissima dissertatione nostra demonstravimus existere cachexias quæ ab organorum degenerationibus originem ducunt, siquidem non existerent hujusmodi cachexiæ, si auferrentur istæ degenerationes ; pariter probavimus alias dari cachexiarum species, sed ne extra propositum divagemur, affirmamus :

Ergo sunt cachexiæ speciales a singulis organorum degenerationibus oriundæ.

FINIS.

Sequuntur nomina competitorum :

DD. Delondre, Rochoux, Gérardin, de Champesme, Cruveilhaer, Piorry, Legras, Bailly, Ramon, Miquel, Destouet, Martin-Solon, Dupau, Dugès, Andral, Gibert, Tuffier, Bayle, Velpeau, Meslier, Léger (Vict.), Léger (Th.), Bouillaud.

Synopsis quam proponimus cachexiarum divisionis.

CACHEXIE, seu assimilationis depravatio diuturna,	Defectus aut depravatio succi alibilis,	1°. Defectus alimentorum. 2°. Excessus secretionum et excretionum. 3°. Defectus secretionum et excretionum.
	Alteratio apparatus præparatoris et conductoris alibilis succi,	4°. Præviæ qualitatis alimenta. 5°. Fluida morbosa quæ secretantur in oeconomia, et circulationem ineunt.
	Perturbatio ipsiusmet assimilationis actus,	6°. Absorptio materiei degenerationum mollioris factæ. 1°. Stomachi. 2°. Vasorum. 3°. Cordis.
		1°. Animi pathemata. 2°. Specialis textuum dispositio.